



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. Quinam in specie gaudent privilegio fori Ecclesiastici?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

ut excommunicationem ipso facto incurrat, qui contrarium agit, & hinc conveniri non possunt Clerici & aliæ personæ ecclesiasticæ coram seculari iudice, non tantum in actionibus personalibus, sed neque in causis sive actionibus realibus, (quidquid sit de contraria alicubi recepta praxi quoad actiones reales) *arguo si Clericus §. h. r. & e. fin. De iudiciis*, cum res in territorio secularis Iudicis sita forum illi non tribuat, si persona per speciale privilegium omnino exempta sit, neque hæres Clericus, qui in bona Laici successit, conveniri potest ex sententia probabiliore ratione horum bonorum coram seculari iudice, etiam si coram Iudice Laico contra defunctum Laicum lis jam fuisset inchoata, neque enim per præventionem Iudicis Laici perditur privilegium fori Clericis concessi, cum hoc nullo jure probetur; neque conveniri potest Clericus coram Laico Iudice in causa communi Clerico cum Laico, aut pluribus Laicis propter consortium, sed contra potius fieri debet, ut Laicus coram ecclesiastico Iudice in causa tali cum Clerico communi conveniatur, (quia magis dignum trahit ad se minus dignum) si tamen causa dividi non possit; si enim dividua esset, quisque coram suo Iudice conveniri deberet. Neque denique conveniri potest Clericus coram Iudice Laico, etiam si tantum in possessorio agatur, non quidem fortasse propter qualitatem causæ, sed propter qualitatem personæ.

Sunt tamen plures etiam casus, in quibus Clerici coram iudice Laico conveniri possunt. Et primò quidem in causis feudalibus *c. Verum §. h. r.* Secundò

in casu, quo bona immobilia Clericis vel Ecclesiis donata aut data sunt, cum tali pacto seu conditione, ut sub eodem foro maneant, sub quo prius existerent, quæ conditio, utpote justa, si ab Ecclesia donatio vel datio talis acceptatur, servanda est, prout Principes Imperii Ecclesiastici ratione suorum Privilegiorum & Regalium, quæ ab Imperio habent, Imperio subiecti sunt. Tertio si agatur contra Laicum ad evincendum ab ipso rem quam emit à Clerico, & Clericus venditor ad defendendum emptorem ei assistere velit, coram Iudice seculari, ipsius scilicet emptoris, comparere debet. Et quartò sicuti Laicus ratione administrationis Ecclesiasticæ non minus quam debet coram Iudice Ecclesiastico officii sui rationes reddere, ita Clericus etiam ratione officii, si alieno nomine conveniatur, Tutor v. g. ratione pupilli Curator ratione minoris &c. coram Iudice seculari respondere potest.

§. III.

Quinam in specie gaudent privilegio fori Ecclesiastici?

Non tantum Clerici in sacris constituti privilegio fori Ecclesiastici gaudent, sed etiam Clerici in minoribus constituti, vel si tantum tonsurâ initiati, si observent ea quæ à Trident. Sess. 23. c. 6. de refor. his præscribuntur, ut scilicet vel beneficium Ecclesiasticum (latè accipiendum nomen beneficii, prout etiam pensionem significat) habeant, vel si beneficium non habeant saltem Clericalem habitum & tonsuram deferant, & alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviant, vel certè habitum & tonsuram deferant.

res in seminario aliquo Clericorum vel in aliqua schola, vel in Universitate aliqua, de licentia Episcopi, quasi in via ad majores ordines suscipiendos versentur. Et quamvis hoc fori privilegium rectè ad Clericos conjugatos, qui cum unica eaque virgine (ab alio non corrupta) contraxerunt, & dictas conditiones observant, extendatur, probabilior tamen dici potest, quòd in criminalibus tantum hi hoc fori privilegio gaudeant, sive si de crimine puniendi sint, criminaliter, sive civiliter conveniantur: rectius tamen hoc fori privilegium ad uxores legitimas talium Clericorum, uti & liberos eorum non extenditur, cum privilegium hoc sit privilegium personale, & uxores in illis tantum fortiantur forum mariti, qui cum ipsis communicari possunt, multò minùs extendi debet ad concubinas Clericorum (quarum delicta cum Clericis commissa, rectè dicuntur mixti fori delicta) ad familiam Clericorum, ad rusticos & colonos Clericorum, &c. de quibus tamen cum jura nihil speciale ratione fori statuunt, juxta jus commune cum illis procedendum est. Rectius tamen hac in re videtur consuetudini adscribendum, quod nonnunquam fit, quàm juris privilegio.

Gaudent autè hoc fori privilegio etiam Monachi, & Regulares omnes utriusque sexus; etiam Laici conversi, Novitii, oblato, Religiosi ordinum militarium, Fratres tertii Ordinis S. Francisci; Eremitæ, qui tria substantialia vota religiosa emisserunt; vel si tria hæc vota non emisserunt, vivunt tamen communiter in Congregatione aliqua, juxta ritum ab Episcopo approbatum; vel si solitarii vi-

vant, deserunt tamen habitum & tonsuram, & sunt auctoritate alicujus Episcopi, Episcopo ad servitium alicujus Ecclesiæ deputati, & vivunt sub obedientia Episcopi, & si hospitalia sint auctoritate Episcopi erecta, etiam hospitalarii, si in talibus domibus vivant, & talium hospitalium incolæ, qui sub obedientia dictorum hospitaliorum vivant, privilegio fori gaudent, quia omnes isti nomine personarum Ecclesiasticarum in latiori acceptione venire possunt, attendenda tamen in multis consuetudo est.

§. IV.

Quando, & in quibus casibus Clerici non gaudeant privilegio fori Ecclesiastici?

Primò, Clerici beneficiati, in sacris constituti, si habitum & tonsuram nunquam deserant (ita ut Laici passim habeantur, sine ulla justa causa, & ab Episcopo suo ter moniti, eum non resumpserunt, vel semel in Synodo generali quidem sub expressa tamen comminatione privationis privilegii fori, privilegium hoc amittunt. *In audientia 25. & 6. Contingit 45. De sententia Excom.* Ita tamen ut si postmodum (sine fraude supert fugiendi fori secularis) ea assumpta sint, privilegio hoc gaudeant, cum in tali casu non absolute, sed præcisè propter dimissum habitum & tonsuram privilegio fori non gaudeant, ergo his assumptis privilegio suo gaudebunt, modò nihil in fraudem fori alterius factum sit.

Secundò, si propter delictum, & subsequentem incorrigibilitatem excommunicati Clerici etiam in sacris constituti fuerint, & in contumacia perseverent, ipso